Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

Cardinalitiis disputationibus, manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis undecimâ Martii.

M. DIONYSIO DODART, Doctore, Serenissimæ D. D. Principis Dotariæ de Conty Medico, & Regiæ Scientiarum Academiæ socio, Præside.

An febribus acutis, sola ex unis carnibus juscula?

ASANGUINE vita, mors, sanitas, morbus; maxime autem febris, morborum prope frequentissimus, utinam ne ignotissimus! sanguini quasi pro animâ est, particularum ejus innumerabiliter multiplicium motus intestinus, fermentatio dictus, unde calor nativus, febrilis; gradu, materiâ, non naturâ inter se diversi. ὁυλομελὴς quasi vita, circuitus sanguinis multiplex, is etiam qui per ramos arteriarum plus quam capillares perficitur, quibus ad partes omnes per lympham alendas, per cruorem fovendas, convehitur uniuscujusque partis demensum proprium, proprio marte conficiendum. Inde quod superest cruoris, lymphæ, redit per venarum & lymphaticarum radices subtilitatis immensæ, novis copiis obiter instauratum in multiplicibus diversoriis, per pulmonem trajiciendum; non ad refrigerium, sed ad accensionem per suffusum & intrusum aërem, ut flammæ cujuscumque, ita vitalis incentivum. Inde prospera valetudo. Hæc non sine sanguinis calore, eoque molli per naturalem sanguinis cursum. Hic velocissimus: non enim unico die in homine temperato, etiam quiescente, minùs trecenties duodecies circumfluere possunt etiam viginti quinque sanguinis libræ. Quantò pluries, pluriesque in commoto, moles minor! maxime si cordis capedines sint majores; nec enim omnium sunt pares. Celeritatis lex naturalis, uniuscujusque natura. Ab eâ caloris modus naturalis, non omnium idem in unoquoque genere, sed singulorum proprius. Hujus norma, omnium functionum integritas, unicuique propria. Adeo ut si hæc vegetiorem calorem exigat, celeriùs renovandus sit sanguis, ideo per occultam evaporationem properè dissipandus, alimento novo restaurandus; atque adeo frequentiùs & celeriùs per pulmonem circumagendus; sin contra, infrequentiùs. Utriusque hujus necessitatis naturalis imperio famulatur cor; sanguinem urgendo circumagens juxta necessitatem dissipandi novandique sanguinis. Hæc à necessitate fovendi caloris naturalis per alimoniæ nova succendicula. Inde naturalis cordis rythmus, & arteriarum à corde pulsantium. Hic sponte nunquam incitatur, sed additis quasi calcaribus aut novi accedentis alimenti, ventriculo concoquendi, vel concocti jam stillantis in subclaviam; aut perturbationum animi ad iracundiam pertinentium; aut corporis exercitiorum. At tunc sine febre quamvis non sine fervore; sed innoxio, quem accendit non cor, sed pulmo per necessariam spirandi frequentiam subministrandis extra ordinem spirituum auxiliaribus copiis ad elicitas vel imperatas motiones; divino machinamento sibi ipsi succurrente, atque adeò suum Autorem quasi digito monstrante. Hujûs circuitûs interpellatio, mors: mora, si in parte, talis est ut derivationis beneficium non admittat, & exundationem faciat, tumorum genus omne. At si sanguis insitis copiis locuples, sed alienis additis crudior minusque subactus, atque adeo minus penetrabilis undique segnius refluit, febris est; Fervor morantis in cursu, & ægre evaporantis sanguinis, atque utroque nomine præter modum effervescentis. Febris quasi gradus, juxta moræ modum, varii; species, juxta causarum naturam. Quo sanguis crudior, eo per se tardior; quo tardior intra certos limites, eo febris vehementior. Ex vitio & in vitio medela; machinâ vere divinâ se ipsam alieno vitio labefactatam, quasi propriis, sed insitis viribus instaurante per febrem. Hæc, motus naturalis ad concoquendum, hoc est, putum ab inquinamento secernendum; sibi permittendus dum sufficit, sustinendus ubi præcipitat; urgendus si deficit; liberandus quum impeditur, quod frequentissimum est; nunquam interpellandus. Sub cruditate, male subacta liquidis solida in arctiores meatus arteriarum, venarum impingentia, in his hærent, ægre propelluntur. Inde pulsûs crebritas & vehementia, & amplitudo; viscerum, sæpe & ambitûs ardor, & partium molestus sensus ardore gravior; anthliâ cordis nimirum laborante compellere male subactum sanguinem, capillaribus vasis ægre admittentibus, fervore fervorisque sensu per tarditatem adaucto, dum pigro lapsu fluens liquor aliàs prætervolare solitus, tanto vehementiùs tumultuatur pugnantibus particulis, tanto graviùs afficit premitque, quantò lentiùs progreditur. Inde necessitas vacuandi sanguinea vasa; sed quatenus satis ad expediendum impeditiorem sanguinis cursum, secernendis & excernendis purgamentis necessarium; abstinendi quantum potest, ad concoquendum & subigendum sanguinem; quorum alterum ad sanguinis missionem, alterum ad victûs rationem pertinet; illud removendis impedimentis, ut prosis, hoc præcavendis, ne alendo noceas.

FEBRIS, maxime continua & acuta, potionem exigit, alimenta cætera qualiacumque per se repudiat; quæ tum & crudorum concoctionem morantur & evaporationem intercludunt, & male concoquuntur. Inde effatum, *impura quanto magis alueris, tanto magis læseris.* Inde, fastidium qualiscumque cibi, non tam symptoma febris quam auxilium partium sub pondere gementium. Per fastidium, *naturæ morborum medicæ* docent nos, etiam per brutas animantes & ægrorum deprecationes, eos aliquatenus fastidio suo permittere; ut nihil sit vulgatiùs quam exempla rusticorum, qui solâ repudiandorum per dies sex, septem, omnium alimentorum pertinaciâ febrem excutiunt; beati quos malè officiosa sedulitas succurrendi specie non obruit, solâ calidæ vel frigidæ potione contentos. Itaque omnino abstinendum alimento præter potum si vires ferendo fuerint. Conjectura, ex motu morbi & viribus ægrotantis. Quod si vel diuturnior futurus morbus, vel vires ægri te ab abstinentiâ deterreant, saltem & minimùm alimenti, & tenuissimum, & levissimum, & innocentissimum, & minimum habens fastidii, & minime corruptibile & usu compertissimum elige ne noceas, & quod facillime concoquatur & quaquaversum digeratur, atque unà secum insinuet refrigerium, sordes eluat, ut prosis. Quod si unà cum his omnibus hoc habet ut sit vilissimum & paratu facile, & varium atque multiplex, ut fastidienti facilis sit optio atque mutatio, omne punctum tuleris, mali minimum adhibens, bonorum optima. Febricitantium annona liquor, potu, alimentis. In utroque genere quid præstat? In potu, quod celerrime pervadit, tenue, nec uspiam hærens; inter alimenta, quod modicum moratur, nec onerat & sustentat. Talia flagitat ratio. At quænam sint ejusmodi ratio non docebit, quæ in talibus cæcutit. Ergo duo consule, experimentorum memorias in historiâ, mores quibus hæc tempora reguntur. Ex utroque elice quod prosit, quod placeat, quod saltem toleretur nec quiritationes commoveat. Neque enim nisi obsequendo imperat Medicina, & in talibus consultum est *tantum eniti in re publicâ quantum probare tuis civibus possis.*

DE VICTUS ratione, tametsi magna res est in omnibus morbis, in acutis febribus maxima, vetustiores Hippocrate Medici doctrinam mancam reliquerant; quamquam non ignari imbecillis hominibus opus esse rebus infirmissimis; valentissimum alimentum esse in quo plurimum est alimenti, plus alimenti esse in carne quam in ullo alio, maxime autem in carne quadrupedum domesticorum. Itaque si nihil aliud præstiterant, saltem delectu ciborum habito quibusvis carnibus, avium, piscium, Cærealia prætulerant; cæteris in hoc genere, hordeum integrum vel deglubitum. Hippocrates leges addidit de modulo & temporibus ad febres acutas. Nec ex hordeo solo alimonia febrientium petebatur, sed ex Zeâ, Chondro, Trago, æque Hippocrati nobisque noto. Ex his ptissanas conficiebant, nunc solo nomine notas, olim tam vulgares ut vix eas describere dignati sint veteres. In his ptissana ἁπλῶς dicta quæ ex hordeo, reliquæ μετὰ προσθήκης frumentaceæ vocitabantur. Constat parari solitas ex Cærealibus in suo genere electissimis, in aquâ limpidissimâ & levissima præmaceratis, & elutis, tum ad tabem decoctis; singulis heminis id est unciis atticis novem, decem, aut ad summum, Georgicâ mensura, tredecim cum dimidiâ in singulos aquæ congios, hoc est uncias centum viginti, decoquendis ad medias; primum igne luculento, tum molliori, donec contabesceret granum. Ex his unicâ elixatione ferculum multiplex, cremor, ptissana, & quod medium inter extrema, cremor ptissanæ confusus & ejus variæ proportiones; quantum scilicet ægro cuique pro variâ febris ætate conveniebat plus aut minus ptissanæ cremore dilui. Condimenta Porri vel Anethi aliquantulum cum multum intumuerat granum, aceti, olei, vel butyri, salis, vel mellis Attici quantum satis ad gratiam. Sic suis ægris, ab imâ plebe ad summos optimates obsonabatur tribus aut quatuor ad summum nostratibus denariis in diem solidum elegantissima Græcorum, opulenta & magnifica Romanorum natio. Sic paratum pinsitum hordeum duabus partibus constabat, alterâ granulosâ, alterâ jurulentâ & facile sorbili. Illa, ptissana vocabatur, hic ptissanæ cremor. Ptissanam nemini febricitanti indulgebant, nisi biduo post crisim vel catharsim elapso, cremorem prope nemini etiam minus robusto dum crisis erat futura quarto die; nec ante septimum, si septimo tantum, crisim futuram autumabant, & vires essent ferendo, solâ potione contenti, aut mulsâ, aut apomelite, aut aquâ frigidâ vel calente. Secùs, cremoris oxybapha duo, id est uncias quinque dabant, primis diebus; simul ac semel, si semel tantum cibum sanus sumere solitus fuerat ægrotus, bis, & cremoris dosi supra dicta in duas partes divisâ, si sanus bis pasci fuerat assuetus; æqualibus vel inæqualibus portionibus, pro ratione consuetudinis in sumendo cibo dum valebat. A primo vel secundo die tam exiguum demensum magis magisque minuebatur donec morbus pervenisset ad Criseos tempora, id est ad septimum, nonum, undecimum morbi diem. Eo die nihil dabant præter potionem. Judicato morbo per crisim vel per concoctionem, alimentum quibus gradibus imminutum fuerat, augebatur. Biduo post crisim addebatur cremori, ptissanæ seu grani concocti nonnihil. Hanc sensim augebant imminutâ cremoris proportione, auctis dosibus, donec ad solidum alimentum per ova, pisciculos, avium cortalium extrema fieret reditus. In hoc curriculo, si fastidiebatur cremor ptissanæ, panis bis, ter, quater, quinquies, sexies elotus, donec aquæ innataret, sorbitioni fastiditæ sufficiebatur. Accessit postmodum ad hanc ægros alendi simplicitatem post tempora Pompeii Magni Alica factitia & nova res, ex zeæ specie quæ granum dicebatur, pinsendo, confringendo, dealbando parata, cæterùm iisdem condimentis nec apparatu majori quam Ptissana, Tragus, Chondrus, tum Oryza ante Augusti Cæsaris ætatem, denique Milium, imo & ipsa Legumina, Lens, unde φακοπτισάνη, Pisum, Cicer, nonnunquam & carnis non nihil; sed hæc ultima magis medicamenti, vel condimenti nomine, quam alimenti, si quando liquiditas alvi aut fastidium stomachi infestaret aut metueretur. His finibus continuit se in sustentandis ægris Græcorum Medicina, nonnullis rerum novarum, & famæ sibi quoquomodo parandæ libidine leges Hippocraticas suggillantibus, quasi justo vel indulgentiores, vel severiores. At Hippocraticæ scholæ soli sua constitit per temperatum sorbitionum usum in sustentandis febricitantibus celebritas, non tantum apud Græcos quaqua patuit Alexandri Magni & successorum ejus imperium, sed & apud exteros, quorum primi Romani *rerum Domini*, tum post Romanos V. sæculo, Romanorum victores Gothi, Franci, Persæ, post hos, Arabes VII. ab Arabibus XII. sæculo Scythæ; vix litterarum minus quam armorum studiosi, ex Hippocratis legibus, tum reliquam artem tum maximè febricitantium alendorum rationem administrarunt, sed oleribus & nonnullis aquosis fructibus additis. Per hos postremos quasi sequestros litterarum & bonarum artium, totâ Europâ per Barbarorum Septentrionalium irruptiones prope trecentis annis exulantium ars ad nos rediit, multis bonis locupletata, sed malis nonnullis interpolata, apud nostros autem homines peregrinis nomenclaturis ita larvata, ut ipsa vix se ipsam agnosceret. In his tenebris vetustæ alendorum febricitantium leges adhuc nonnihil mutatæ sunt; additæ veterum ptissanis sæculo XIV. carnes, sed solorum volatilium eorumque juniorum, ex aquâ bene multâ elixatæ, additis oleribus, quo sorbitiones ex his paratæ essent leviores; vixque nisi ubi ptissanæ fastidirentur, & contumacibus. His initiis cœperunt carnes in partem usus admitti & habere secundas in febricitantium nutriendorum negotio, easque quasi precarias. Donec paulatim, reclamantibus licet post redivivas XV. sæculo Græcas Romanasque litteras, Medicis doctissimis priscam Medicinam in integrum restituere frustra conantibus, provecto jam postremo nunc labente sæculo, apud unos prope Gallos, eosque Celtas, sola carnium volatilium, macellariarum jusculorum potirentur, antiquatis veterum ptissanarum sorbitionibus. Harum vestigia sola supersunt, ptissanæ hujus ætatis, nudum nomen nisi quod hordei non nihil retinent, ut constet aliqua nominis ratio; tam parum autem ut ne nocere possit granum, potioni minus conveniens. Nec solum juscula carnium inolevere, exoletis jam tot sæculorum authoritate confirmatis ptissanis. Nam postremis temporibus unà cum jusculis carnium, pro antiquatis multiplicibus veterum scitis de delectu, de mensurâ, de modo seu systasi, de intervallis alimentorum sorbilium; de his sensim minuendis, augendis, vel omnino prohibendis pro ratione virium, ætatis, consuetudinis, temporum morbi; una successit lex, omnium naturarum, ætatum, tempestatum, febrium utcunque inter se distantium communis, ineunte, procedente, vigente morbo, quatuor horarum intervallis sorbitiones exhibere, non quales vellet Medicus ex artis decretis, hoc est leviores ac leviores febre gliscente, sed à primordiis ad summum succo carnium, majorum quadrupedum opimarum valentissimo refertissimas, & quantas ventriculus ægri potest admittere, hoc est librales; vix exceptis paroxysmorum gravissimis temporibus. His autem vix minus quatuor libris, bubulæ, vitulinæ, vervecinæ uni febrienti in unicum diem deputantur.

UTRAM alendi rationem eligat, si per sæculi mores dari posset optio, nemo medicorum dubitaverit, memor anteactorum, præterea autem gnarus eorum quæ toto orbe geruntur, primum apud nationes nobis conterminas Hispanos, Anglos, Germanos, Italos, tum apud gentes remotissimas Zonarum omnium nec minus glacialium quam torridæ, Cimbros, Sarmatas, Scythas, Indos, Americanos. Vix ullibi tantum tam unicum in febribus acutis carnium usum reperies quam apud nos. Anglis avenaceæ sorbitiones, imò nostris Britannis Aquitanis Delphinatibusque familiares; Italis ptissanæ hordeaceæ, Hispanis nondum repudiatæ; Germanis ex elixato infriato pane in aquâ vel dilutiore zytho juscula, butyro, ovi luteo, sale condita; Sarmatis suum cacha ex Melampyro & cæteris Cærealibus, deglubitis; Scythis Milium; Asianis, Indis, Seribus, Oriza; Americanis Mayzium, id est frumentum Indicum. Age ergo, confer ptissanas jusculis, hoc est usum antiquissimum, annorum bis mille ferme quingentorum; toto orbe diffusissimum, quaquà patuit non tantum Græcorum imperium, sed adhuc multo majus Romanum & Romano patentius Arabicum, & latius Arabico Scythicum; à Medicis laudatissimis & omnium gentium etiam Barbararum, sed bene doctarum commendatissimum, cum usu prope hesterno, quem si quis cogitavit antiquorum damnavit aut ptissanis post habuit. Compone, si potes, Medicos omnium scholarum Græcos, Latinos, Arabas, Scythas, adde & Mixobarbaros, majores nostros, Magistrorum optimorum discipulos eximios, præterea autem & omnes qui post instauratas Græcas Latinasque litteras ad hoc sæculum, imo & ad postrema hæc tempora cum laude scripserunt, & veterum placita de victu ægrorum plaudentes secuti sunt, quantum illis per vulgi procacitatem licuit. Omnes hos compone, cum his qui ptissanas aut aperte damnaverunt, aut suggillaverunt occulte. Hos postremos aut nullos invenies, aut perpaucos, aut si ullos, nullius nominis, præter unum Manardum Ferrariensem, atque hunc ipsum declinantem veriùs antiquos usus quam detrectantem. Sed quis conferat annos fermè bis mille quingentos cum annis vix octoginta; Galliæ nostræ partem vix quintam cum universo prope terrarum orbe; omnes omnium gentium ætatumque Medicos, hujus rei peritissimos & in ea exercitatissimos cum uno, cæterà docto, sed qui se rei hujus expertem & imperitum palam ipse demonstrat. Neque hæc omnia mera præjudicia putes hominis antiquitati plus æquo faventis; cum in artibus humanis nulla per se unquam valere possit authoritas nisi in arte principe hominum legibus & imperio regerendorum. Falli potuit Hippocrates, imo in re obscurâ hallucinatum se fuisse fatetur, ea professione se ipso major. At in his quæ manifestis, publicis, perpetuis experimentis & fide boni viri constant, ipsum falsum fuisse, & omne genus Medicorum, æqualium, posterorum, quasi vertigine quadam circumegisse, qui dicat, operâ datâ sibi illudit ipsi, nemini fucum facturus. Non veterum citantur opiniones, sed testimonia, nec ipsi ut auctores, sed ut eorum quæ viderunt, tractarunt, experti sunt, testes multo locupletissimi, omnes inter se hac in re probe convenientes etiam sectis inter se pugnantibus. Quamquam licet eos ut autores consulere. Noli enim putare temporis nostri Medicinam veteri æque multò doctiorem in omnibus. Multa quidem, imo prope omnia in theoricis addita sunt. Multa scilicet in anatomicis, eaque quam egregia! quam utilia! quam prope dixerim necessaria! saltem quatenus Theoria ad perficiendum Medicum est necessaria; in Chymicis autem prope omnia. Imo & in practicis bene multa atque egregia adjecta sunt, quamquam bona pars eorum, licet à nostris hominibus, veterum negligentioribus inventa, in veterum monumentis ignota lateat, manifesta legentibus. Sed multa nec minora funditus omissa sunt aut oblivioni mandata, eaque in lucem, quantum per mores nostros licet, omni arte studioque revocanda, ut Gymnastice, & Diætetice, præsertim ea quæ fuit acutorum. Sed ne frustra litigetur præjudiciorum specie, res ipsas inter se committe, simplicem, varium, & impunè mutabilem, atque adeo jucundum; incorruptum præterea, aut si quando ptissana diutius asservata leviter acescit, hoc ipso sæpe profuturum, semper innocentem, cæterùm & utilissimum victum; vilem præterea & tam sufficientem divitibus; quam egenis facilem, ut qui vix paulo plus asse nostro constet, etiam quadruplicata nostris ægris quotidianâ veterum sportulâ: cum eo quem casus, ingluvies, luxus, præjudicata vulgi voracis opinio & consuetudinis media barbarie natæ importuna necessitas expresserunt, qui palato febrientium sæpius male sapit, & semper eumdem atque vix evitabilem nidorem naribus inculcat, & facile ac frequenter & pessime in crudis, & æstuantibus & impuris visceribus computrescit, & magno nec pauperibus tolerabili assium vix minus viginti pretio constat. Et cum bene tecum reputaveris cibum, etiam optimum, levissimumque & minimum, ægritudinis habitâ ratione, crudis, impuris, infirmis visceribus eo nomine nociturum: pensita, utra major noxa quotidiana metuenda sit, an à succo librarum quatuor carnis quadrupedum, Gallinaceæ autem unciarum ad minimum sex, octo: an à cremore unciarum hordei ad summum trium cum triente; tantulum enim est quadruplicatus veterum cibus largissimus. Atque hæc postquam accuratè perpenderis ad examen rationis revoca, non opinatricis, sed ejus quæ experimento proprio constat. Fac periculum ipse. Comperies dejectiones aquosas, sulphurei fœtoris intolerabilis, diarrhœas, insuperabile fastidium febricitantium, sæpe jusculis, carnium macellariarum jure prægnantibus imputandum potius quam febri; cum suffectis in eorum locum Cærealibus sorbitionibus, quasi sponte symptomata pessima subito levari soleant, aut funditùs evanescere.

CAVE tamen putes è vestigio proscribenda carnium juscula, restituendas ptissanas è Cærealibus, ægros potione pascendos, aut exiguis veterum sorbitiunculis, quas etiam atque etiam minuas, donec morbus ad summum pervenerit. Nihil subitum aut extremum salubre, & si per se foret, tamen consuetudinis mutatione & malâ animi inductione molestum esset. Inductâ animi ægritudine metuque & anxietate, etiam victu meliore corpus malè affeceris. Nisi persuasum & lubentem & faventem ægrum habes, etiam bene agens, frustra sis. Opiniones jam inveteratas statim mutare supra hominem est. Sensim oblitterandæ. Atque id facilè fieri potest si arte modoque, & tempore fiat. Volatiles primum carnes, macellariarum portiunculâ instar condimenti misceantur. Fastidii febrilis occasione, minuantur carnes, addatur crustulum cum carnibus elixandum, tum Hordeum, aut Oryza, aut Avena, usitatissima Cærealium. Posteà symptomatis exigentibus, verbi gratia morantibus urinis, radices culinariæ, Petroselini, Dauci, Avena contusa, Pisa ipsa aut Cicer addantur carnibus. In malignitatis metu; radices Tragopogonis nostratis, vel Hispanici. Alvo nimis fluente, Lens elixetur integra, pinsita, cum pullo Gallinaceo; morante, Secale confractum; in evaporandi necessitate Milium. Tum, ubi ægros Oleribus, Radiculis, Cærealibus, Leguminibus assuefeceris, carnes erunt pro condimento: nec enim aliena Medico visa est Galeno nonnulla coquinariæ peritia, & ptissanis veterum non nunquam addebatur suillæ recentis non nihil ad gratiam. Denique exigente manifestâ per fastidium aut ægritudinem necessitate, inferantur ptissanæ meræ, variæ. Facilis inde ad carnes reditus, hyeme præsertim, ne inhumanus videaris aut à communi elegantiorum hominum sensu nimis abhorrens. Nam in temperatis & frigidis tempestatibus ac regionibus, qualis est nostra, talia vicissim & ferè promiscue adhiberi impunè possunt, cum in Zonis ad torridam accedentibus aut ardoribus æstivis, non suspectus tantum etiam sanis, sed febricitantibus perniciosus esse soleat carnium usus; & bona fere sunt assuetis apud nos quæ talia habentur, modo ne sint pessima. Ita paulatim febricitantibus reconciliari posset veterum ptissanarum simplicitas. Facilior multò reditus esset ad antiquam sobrietatem per ægros alimenta deprecantes, nimirum quantùm per vires & consuetudinem licet. Itaque quadruplicatum, ut minimum, vetus demensum, quamvis hodierni vix duodevigesimam æquet, tamen faventes & contentos haberet ægros permultos; cum sæpe multum laboretur in ingerendis amplis sorbitionibus. Memineris tamen leviùs peccari alimento nimio quam nimis modico potissimum apud edaces Gallos. Sed ne existimes eos carnibus assuetos vix impunè toleraturos alias escas, cum Angli carnivori Hordeatis, ut vocant, & Avenatis lubentissime & saluberrime pascantur, febricitantes; & Milio sorbili Scythæ famem commodè tolerent, carnibus equorum sub ephippio maceratis, dum venit usus, vesci soliti; & Americani antropophagi omnes quotquot alterum Hæmispherium incolunt æque commode vicissim ustulata venatione, & radicum farinâ, & Mayzii sui, hoc est frumenti Indici pulticulis pasci soleant tam qui ad utrumque orbis cardinem, quam qui zonam torridam incolunt. Nec metuas ne deficiant vires, & ægroti marcescant si subductum aliquid fuerit annonæ febricitantium, etiamsi modi atque consuetudinis & virium habitâ ratione fiat subductio, quasi paulatim senescente naturâ: cum certum sit apertis & irrefragabilibus documentis majores nostros priscorum sæculorum, nec nobis fuisse proceriores & vivaciores etiam ante tempora Mosaïca, nec sæculorum vitio factum sit sed nostro, ut inertiâ desidiaque facti simus minus robusti avis proavisque nostris. Hoc alimentorum delectu & modulo, hâc alendorum febrientium ratione, & concoctio crudorum, & sanguinis liquiditas, atque adeo facilis per capillaria vasa, interna, externa succedet circuitus; unde proclivior, tutior, celerior febrium acutarum depulsio.

[1] De Ptissanâ & ejus succedaneis; de modo, tempore, apparatu, condimentis legantur, MEDICORUM GRÆCORUM, LATINORUM PRINCIPES, *Hippocrates lib. III. de morbis, maximè sub finem, præsertim autem lib. de victûs ratione in morbis acutis. Diocles apud Coel. Aurelianum lib. II. Acutor. c. 20. 29. Dieuches apud Oribasium, Coll. IV. c. 7. 8. ubi de Hordei, Milii Panici, Hordei tosti, Avenæ, Lentium, Amyli, Similæ, Alicæ, Panis apparatu ad sorbitiones c. 9. ubi de coctionibus. Praxagoras apud Coel. Aur. l. II. acut. c. 21. 29. Heraclides Tarentinus, Empiricus apud Coel. Aur. lib. I. acut. c. 17. lib. II. acut. c. 29. Aretæus lib. I. de curatione acut. c. 1. 10. lib. II. c. 1. Themison, Methodicus apud Coel. Aur. lib. I. c. 15. Celsus, Diætritarius lib. III. cap. 3. 6. lib. IV. c. 6. Asclepiades, Epicureus apud Coel. Aur. lib. I. acut. c. 15. Soranus, Methodicus apud Coel. Aur. lib. I. acut. c. 19. 29. Coelius Aurelianus, Afer Methodicus lib. I. acut c. 10. 11. 15. 17. lib. acut. c. 18. 19. 20. 21. 22. 24. 29. Gariopontus (quem Renatus Moreus merito putavit Afrum) de febribus c. 12. de causone c. 27. de curâ tertianæ. Galenus passim, maxime autem lib. de ptissanâ, item lib. I. de alimentorum facult. tum lib. X. meth. med. c. 3. sub finem. XI. c. 2. l. I. ad Glauconem c. 10. 13. item commentario in lib. Hipp. de victûs ratione in morbis acutis & alibi passim. Philotheus commentario in lib. I. Aphor. Hipocr. Philumenus apud Aetium Tetrab. II. lib. I. c. 78. de febre ardente. Oribasius Synops. IV. c. 32. quæ res refrigerent c. 32. 33. quæ res humectent c. 34. 35. 38. 39. lib. IV. c. 19. collect. IV. c. 7. 8. 9. de quibus supra in Dieuche. Alexander Trallianus lib. VI. c. 5. lib. XII. c. 3. Aetius Tetrab. II. lib. I. c. 76. 78. Octavius Horatianus, Afer, ad Euporistum c. 4. 5. Paulus lib. II. c. 18. lib. III. c. 30. 33. Stephanus Atheniensis in lib. I. Galeni Therapeut. ad Glauconem num. 115. 116. 130. Actuarius method. med. lib. III. c. 18. 19. lib. IV. c. 2. 4.* ARABES ET SCYTHÆ *Isaac Israelita de febribus c. 31. 32. 34. 37. Serapion, Arabs de febribus c. 4. 6. Mesue de ægritudinib. pect. c. 7. E. F. c. 8. integr. de ægritud. guttur. c. 5. F. G. Joannes Damascenus, Syrus lib. II. c. 13. 17. lib. III. cap. 20. 21. Isaac Israelita alius à superiori de febribus c. 21. 28. 30. 36. 39. Avenzoar de febribus c. 13. Alsaharavius, Scytha [sic designatur in catalogo M. S. authorum ab Ebenbithare citatorum] practicæ tractatu, 32. partis quintæ, capitis 5. sect. 3. fol. 152. 154. 155. 155. V. Avicenna Bactrianus [hodie Bactriana vocatur Usbek Tartariæ pars ad Austrum] de febribus tract. II. c. 8. 9. Averrhoës Hispanus Cordubensis de febribus c. 14.* MIXOBARBARI. *Constantinus Africanus c. 2. 3. 4. 8. 10. Gordonius de febribus c. 2. 3. 5. Arnaldus, Villanovanus de febribus c. 7. 9. Philonium seu Valescus de Taranta c. 2. 5. 6. 7. 8. 10.* QUI POST INSTAURATAS LITTERAS SCRIPSERUNT inter quos *Leon Hartus Fuchsius de Medendis morbis lib. I. c. 21. lib. c. 8. 9. Mercurialis Medicinæ practicæ lib. I. c. 2. lib. II. c. 6. 7. lib. V. c. 9. 10. 13. Riverius de febribus sect. II. c. 1. Petrus Salius Diversus comm. in lib. II. de Morbis num. 78. 82. 83. 93. [illegible]. 145. 150. & in lib. III. de Morbis num. 53. 69. 70. potione 4. Magister Guido Crescentius Fagon (nunc Archiatrorum Comes) quæstione, Estne febricitantibus accommodatior diluti in aquâ panis quam carnis elixæ sorbitio, discussa in scholis Medicorum Parisiensium anno 1674.*

Non ergo febribus acutis, sola ex unis carnibus juscula.

Proponebat Parisiis RAYMUNDUS JACOB FINOT, Parisinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1700.